

*sticam* intelligunt, ita, vt non tantum *docendi*, sed & *regendi* potestatem intelligant. Ita BARRADIVS *Com. in IV. Evang. Conc. c. XXIV.* ex nostratibus GERHARDVS, CALOVIVS, alii. V. GROTIVS, vtramque excludere, & solam *academicam* statuere, videtur. Negat enim, id vel de sacerdotibus & pontificibus, eo, quod non nominentur, vel de toto Synedrio, quod multi in eo fuerint Sadducaei, intelligendum esse, sed de iis tantum, qui magistri siue doctores vocabantur, qui omnes ferme erant Pharisaici instituti, adeoque non tam de publica, quam priuata cathedra. Omne vero hoc diuortium conciliari potest, si, quae mens est *Dæ. Praesidis* in Praelect. ad h. l. cathedra *πρώτως* quidem *ecclesiastica*, *δευτέρως* & *legislatiua*, & *academica* intelligatur. Moses enim non docendi tantum, vt erat propheta, Deut. XVIII, 15. sed & iudicandi, Exod. XVIII, 13. seqq. habuit potestatem. Quamuis autem *doctrinalis* cathedra ordinarie spectabat ad *tribum Leuiticam*, saeculorum tamen decursu, factum est, praesertim post captiuitatem Babylonicam, vt id non ita strictè obseruaretur, sed ad docendum admitterentur etiam illi, qui ex *aliis* erant *tribubus*, quemadmodum Pharisei & Scribae putantur, vt plurimum, ex tribu Simeon fuisse, vt ait HVNNIVS, idque exemplis probat FR. BURMANNVS *Exercitat. Academic. T. II. disp. VI. de Synagogis p. 60.* De academica vel inde colligere procliue est, quod, longe ante tempora Christi, Iudaei celeberrimas habuerint academias, in quibus non modo iuniores, acroamatico magis, quam catechetico more, informabantur, sed & doctores ipsi, *חכמים* dicti, quorum insigne *clavis cum pugillaribus* erat, inter se varias mouebant quaestiones. Quorum procul dubio respexit Seruator Luc. XI, 52. verbis illis: *Vae vobis scribae, quoniam accepistis clauem scientiae &c.* Nec ignotum est, de Rabbi Salomone, cum sine prole decederet, clauem & pugillares cum

cum